APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM CELSIANI

SECTO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.

EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R.

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

GUSTAF WILH. JOHAN v. DÜBEN,

LIBER BARO.

DIE 2 Dec. 1840.

P. XXXIII.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Multitudine, varietate et venustate fructuum Asia quidem et Africa Europæ præferendæ sunt, at vi ingenii incolæ Europæ aliis longe antecellunt.

II.

Si æquo animo judicamus Christianum, quem dicunt tyrannum, sua crudelitate plus profuisse quam nocuisse, reperiemus.

III.

Vulgo homines historiam naturalem contemnunt; at injuria. Nullum enim studium ad ingenium acuendum ita valet, nec, qui toto animo totaque contentione in id incubuit, umquam languori desidiæque se dedet.

mos perplexitate quadam afficit et quatit, atque sæpius ob difficultatem inveniendi non invenitur, quod quæritur, caditque iu oblivionem, qua non tollitur seu demitur vis et auctoritas ipsorum, sed potius illaqueantur contra ipsa facientes, etiam ignorantes; cum ignorantia talium non excuset; ipsorum insuper nonnulla contrarietatem in se videntur habere, ita quod revocatur in dubium quorum potius diffinitionis determinationi sit credendum; et quædam adeo quandam obscuritatem in se implicant, ut necessaria sit delucidatio clarior earundem: Idcirco nos Nicolaus dei gratia Archiepiscopus Upsaliensis de consensu venerabilium fratrum nostrorum eadem gratia episcoporum, nec non procuratorum capituli nostri, ceterorumque capitulorum Upsalensis provinciæ, statuta eadem in unum compendium redigere, contraria tollere, obscuraque delucidare cupientes.

Inprimis collegimus per venerabilem virum dominum Birgerum, præpositum stregnensem, decretorum doctorem ex ipsis omnibus casus in quibus quis excommunicationem incurrit ipso facto, quæ sunt latæ sententiæ, dein quæ sunt ferendæ, demum in quibus interdicti, suspensionis seu privationis ab officio seu beneficio disjunctim vel conjunctim sententia fulminatur, et in quibus prohibetur ecclesiastica sepultura; ultimo in quibus pecuniariæ vel pœnitentiales pœnæ infliguntur; et statuta qvæ delinquentium pœnitentias determinant, et ad morum correctionem faciunt; et quæ modificant et moderantur procurationes exhibendas Archi-Episcopo et suffraganeis visitantibus; et diffiniunt de testamentis decedentium sacerdotum et eorum ultima voluntate exequenda, vel non; et in quibus vel qualibus rebus eis succeditur ab intestato, vel ex testamento; et qualiter oblationes obvenientes dividantur, et per quos recipiantur; et qui ad decimandum et decimas conservare et inferre teneantur; et qvæ sunt pro exstirpatione errorum circa fidem et sacramenta subnectemus; et quomodo se debent habere sacerdotes in confessionibus audiendis, in celebrando et sacramentis ministrandis.

Punctus I.

Prímo et ne bulla Bonifacii papæ noni, statutumque Cardinalis Sabinensis, Legati regni Sveciæ, quæ apud plerosque non inveniuntur, pertranseantur sic silentio, eas innovamus, præsentibusque interserimus, declarantes juxta tenorem bullæ Bonifacii, bona ecclesiarum monasteriorum et aliorum piorum locorum, ecclesiasticarum personarum, et aliorum servientium deo in eisdem non fore communia discurrentesque per ecclesias, monasteria, et alia pia loca; absque prælatorum seu dominorum suorum voluntate, animalia ad agriculturam deputata mactantes, vel in

prædam abducentes, victualia et hujusmodi bona destruentes et consumentes, domos ecclesiarum, monasteriorum, locorum et personarum hujusmodi incendiis, devastationi et destructioni exponentes, personas quoque ipsas capientes, et in carcerem ac captivitatem abducentes, spoliantes, tollentes et tormentis exponentes, sententiam excommunicationis incurrere ipso facto, a qua præterquam in mortis articulo, possibili satisfactione præbabita, ab alio quam a Romano Pontifice non possunt absolui: si prius fuerint per nostros suffraganeos vel alios nostro nomine sub pœna excommunicationis requisiti a talibus abstinere, et talia de cetero non committere; et excommunicatos hujusmodi artius evitandos, donec cum diœcesani testimonio literarum ad sedem venerint Apostolicam absolvendi, non obstante indulto etiam speciali, quod interdici, suspendi et excommunicari non valeant per literas apostolicas.

Punctus II.

Item ex statuto sabinensis declaramus excommunicatas mulieres, quæ matrimonium scienter contrahunt cum constitutis in sacris ordinibus, et concubinas cum illis publice cohabitantes, quibus si constituti in sacris ordinibus communicati sunt. Concubinæ recipiant pœnitentiam. Infra III. Membro LXXVI. puncto.

Punctus III.

Item filii illegitimi constituti in sacris, si aliquid percipiant ab intestato ab iis, quæ pater eorum vel Ecclesia possidebat, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

Punctus IV.

Item excommunicati sunt, qui in domibus sacerdotum, qui absque uxoribus publicis seu cohabitantibus concubinis permanent, et præcipue fratrum prædicatorum violentiam faciunt prætextu hospitalitatis, vel ex alia caussa, frangendo domos vel hostia, sive aliquid rapiendo, exceptis personis dominorum regum vel ducum, quod innovatur in statuto: *Idcirco justitiæ rigor*, et extenditur ad clericos violentiam committentes, vel aliquid rapientes in curiis sacerdotum, per se vel per servitores suos; et a sententia excommunicationis, quam incurrunt, nisi prius satisfactionem exhibuerint cum effectu, non debent absolvi per statutum, quod incipit: *In maligna:* et singulis diebus dominicis et festivis per ecclesias contractæ, in qua violentia est commissa, debent pulsatis campanis etc. denuntiari.

Punctus V.

Item Marscalcus et Senascalcus, et quicunque alii, qui sequuntur episcopum visitantem, exigens vel recipiens, exigentes vel recipientes per se vel per alium præter victualia, quæ ad procurationem pertinent, vel qui oblatum acceperint, sententiam excommunicationis incurrunt.

Punctus VI.

Item excommunicati sunt in sacris constituti, qui post annum a die datæ constitutionis Sabinensis nascituros sibi appropriaverint filios, eos tenendo secum et alendo, vel alibi publice nutriendo, vel filios suos publice nominando, etc.

Punctus VII.

Item ex statuto: *Zelus domus Dei* in Can. 1. *Ammonet* declaratur quod sacerdotes in nullo teneantur famulis episcoporum transeuntibus, seu aliis quibuscunque, nisi ipsos colligere velint intuitu charitatis; et si qui violentiam fecerint in curiis sacerdotum ipso facto excommunicationis sententiam se noverint incurrisse.

Punctus VIII.

Item ex statuto: *In maligna*, excommunicati sunt captivantes Clericos, et hoc fieri mandantes seu procurantes, et qui ad hoc dederint consilium vel favorem occulte vel manifeste: et qui potuerint prohibere et non prohibuerunt, excommunicati pronuntiandi sunt singulis dominicis diebus et festivis in ecclesiis, conventibus, et aliis locis oportunis. Et clerici inferiores episcopis, qui hoc negligunt et nolunt observare, excommunicati sunt.

Punctus IX.

Item excommunicati sunt qui Regem per ecclesiam coronatum captivant, fugant et occidunt, et eorum fautores et auxiliatores; et tales malefactores nunquam debent ab ecclesia in regem coronari. Ex capitulo vel statuto: *Execrabilis.*

Punctus X.

Item terrarum præfecti, capitanei, substituti et familiares ipsorum et reliqui militares, et generaliter omnes qui villicos, colonos vel alias personas ecclesiasticas per terrores vel minas seu alias extorsiones ad dandum sibi pecunias, vel res quascunque compellunt vel artant, seu

ad dandum sibi fidejussores pro rebus vel pecuniis sic extortis, vel imponunt iis laboritia, tributa, tallias vel alia quæcunque onera contra privilegia et libertates, aut etiam pro eo quod terras proprias habent, dummodo plus de libertate teneant; et qui in domibus villicorum, colonorum et aliarum personarum ecclesiasticarum hospitantur, et per terrores vel minas vel rapinas extorquent pabulum vel expensas, et non ante recessum solvunt justum pretium pro receptis; item præfecti et capitanei prædicti, nec non substituti et familiares ipsorum, qui per se vel per alium publice vel occulte exigunt et extorquent a personis ecclesiasticis prædictam emendam regiam, vel coufiscationem bonorum pro delictis eorum, et ipsis prælatis ecclesiarum juxta antiqua privilegia libere non dimittunt; et qui malefactores, qui præmissa, vel præmissorum aliquid perpetrare præsumserint, in pane vel defensione retinent; item generaliter omnes homines regni, qui cimiteria vel ecclesias seu decimas ac alias obventiones ecclesiasticas et jura, quibuscunque nominibus censentur, spoliant vel impediunt; et ne in cimiteriis vel curiis curatorum placita sua teneant; aut ecclesias frangant, moniti sunt canonice per statutum: *Idcirco justitiæ rigor:* ne post constitutionem talia committant sub pœna excommunicacionis, quam incurrunt ipso facto contra facientes, et mandantur ex statuto artius evitari; nec aliquis qui ob præmissa sententiam excommunicacionis incurrit, poterit ab alio quam ordinario loci, vel ejus officiali, in cujus diæcesi crimen perpetratum est, absolvi.

Punctus XI.

Item ex statuto quod incipit: *Birgerus* etc. excommunicati suut omnes asserentes non esse infernum. Item prohibentur ex eodem sub sententia excommunicationis laici disputare dc fide vel de articulis fidei publice vel occulte.

Punctus XII.

Item prohibetur sub intimatione maledictionis æternæ in statuto: *noverint:* ne quisquam laicorum cujuscunque præeminentiæ etc. existat se in facie ecclesiæ faciat ad aliquas septimanas seu dies ante tempora interdicta a jure, ne in iis benedicantur nuptiæ, cum sua desponsata benedici ad finem, quod postmodum expensas seu solennitatem nuptiarum cum carnis copula in ipsis prohibitis temporibus peragat; et si innotuerit presbyteris, quod laici ea intentione se petierint benedici, eorum matrimonia nullatenus benedicant.

Punctus XIII.

Item ex statuto, quod incipit: *Quoniam nulla juris sanctio*, excommunicati sunt ipso facto judices, qui super decisionem una de nempda non sunt contenti; sed nempdam super nempdam ponunt.

APPARATUS
AD
HISTORIAM SVEO-GOTHICAM
CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,
PHIL. ET THEOL. D:R,
PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,
ET
CARL ALEX. v. SCHANTZ,
NOBILIS, SCANUS.

DIE 2 DEC. 1840.

P. XXXIV.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

C. Cornelius Tacitus, quamquam brevitate sermonis interdum obscurior, eleguntia et arte historiam scribendi haud facile quemquam sui similem habebit.

II.

Instaurator Sveciæ, Gustavus I:mus, seriem incepit magnorum regum, quorum ipse haud immerito maximus æstimetur.

III.

Non vita, sed mors præmatura Caroli duodecimi patriæ funesta fuit.

Punctus XIV.

Item declaratur in eodem juxta bullam Gregorii Papæ, X, quæ est scaris, et constitutionem sabinensem ab Alexandro Papa IIII. confirmatam, et statutum, quod incipit: *Idcirco justitiae rigor*, quod omnes violenti hospitatores in fundis presbyterialibns excommunicati sunt ipso facto. Simile supra eodem membro puncto IIII.

Punctus XV.

Item qui simplicem fornicationem et usuram seriose negant esse peccata mortalia, hæretici sunt censendi, et per canones excommunicandi, quia hæretici sunt excommunicati. Quod etiam declaratur et reperitur in statuto quod incipit: *in Nomine Domini, Amen.*

Puccus XVI.

Item omnes qui dicunt se papæ, romanæ ecclesiæ et sedi Beati Petri non subesse, et ejus constitutionibus, sunt hæretici censendi, et per canones excommunicandi.

Punctus XVII.

Item ex statuto quod incipit: *In Nomine Domini Amen, a nativitate ejusdem*, et statuto quod incipit: *Quoniam nulla juris sanctio* &c. qui dicunt sepeliendos publicos usurarios sunt excommunicati, quod reperitur in statuto: *in Nomine Domini.*

Punctus XVIII.

Item ex eodem usurarii sive clerici sive laici, nisi usuram post trinam admonitionem restituerint, vigore ipsius statuti sunt excommunicati ipso facto.

Punctus XIX.

Item ex eodem inferiores episcopis singulares personæ, quæ locant domos usurariis, sunt excommunicati. Simile infra membro III. puncto XVI. Item si Laici non deputati per episcopos intromittentes se de oblationibus requisiti per episcopos vel eorum officiales ratiocinia non reddiderint infra VI dies, aut claves receptaculorum oblationum assig-

nare recusaverint, sententiam excommunicationis incurrunt; a qua non absolventur, nisi præmissa adimpleverint cum effectu.

Punctus XX.

Item inhibetur in eodem sub intimatione maledictionis æternæ ne de cetero quisquam veneretur aut colatur pro sancto, nisi quem sedes apostolica approbaverit, et quem romana ecclesia venerandum determinat et colendum.

Punctus XXI.

Item excommunicati sunt voluntarii homicidæ, ex statuto quod incipit: *in Nomine Domine, Amen.*

Membrum Secundum.

Punctus I.

Qvantum ad secundum, scilicet quoad casus, qui sunt sententiæ ferendæ, seu in quibus erit excommunicandus, colligimus ex statuto sabinensi excommunicandos eos, qui hospitantur cum episcopo præter suos apud presbyterum, qui procurat Episcopum visitantem, qui non sunt per ipsum presbyterum procurantem invitati.

Punctus II.

Item præcipitur sub pæna excommunicationis et suspensionis archiepiscopo et suffraganeis suis, quod nulli laico decimas alicujus Ecclesiæ parochialis concedant.

Punctus III.

Item ex statuto seu canone: *Fecit, Deus, hominem,* qui bona clerici infirmi vel defuncti occulte vel manifeste subtraxerint, excommunicationis sententiam se noverint incursuros.

Punctus IV.

Item ex statuto quod incipit: *Quando non debent,* præcipitur sub pæna excommunicationis ferendæ, ut omnes conscii, quod presbyteri et

laici se invicem percutientes ex motu iræ, se invicem postmodum composuerint et communicaverint, sine aliqua absolutione, ad notitiam diæcesanorum hoc deducant.

Punctus V.

Item ex statuto: *in maligna,* clericus et laicus excommunicandi sunt, qui aliquid de rebus mobilibus vel immobilibus antistitis defuncti, vel in extremis laborantis dolo supprimere vel auferre præsumpserit, et mandantur omnia salva et illibata futuro remanere successori.

Punctus VI.

Item præcipitur sub pæna excommunicationis Prælatis Ecclesiarum et curatis, ut statuta in concilio Upsaliæ celebrato, cui Birgerus præsidebat, publicent, dum missarum solennia aguntur diebus dominicis et festivis, que continentur in ultimo membro sub puncto LXXI et LXXII.

Punctus VII.

Item excommunicati sunt clerici in sacris constituti, qui concubinam tenent in domo vel alibi, aut vehementer suspectas mulieres, et post monitiouem canonicam eas omnino non amoveant, ex statuto quod incipit: *In Nomine Domini Amen, a nativitate ejusdem.*

Punctus VIII.

Item excommunicati sunt laici qui exercent usuras, ex statuto: *In Nomine Domini, Amen.*

Membrum Tertium.

Punctus I.

Qvantum ad tertium; scilicet quoad casus, in quibus quis sententiam interdicti, suspensionis vel privationis incurrit, et in quibus prohibetur ecclesiastica sepultura, colligimus ex statuto sabinensi, quod clericus assumens officium exactorum ecclesiastico subjaceat interdicto.

Punctus II.

Item Archi-Episcopus et quilibet suffraganeorum, qui infra annum

a die constitutionis sabinensis non habuerit jure proprietatis librum decretalium, secundum ultimam compilationem factam tempore Gregorii IX, suppositi sunt interdicto: et vult constitutio quod studeat in ipso.

Punctus III.

Item Episcopi recipientes pecuniam a clericis concubinariis contra dispositionem statuti: *Zelus Domus Dei*, si duplum ejus non restituerint ei, a quo receperunt infra mensem, ab omni pontificiali officio; inferiores vero ab ingressu ecclesiæ, quousque duplum hujusmodi fuerit restitutum, plenarie sunt suspensi, nulla eis persolventium remissione, liberalitate seu gratia profutura.

Punctus IV.

Item Episcopi qui duplum ejus non restituerint infra mensem, quod receperint ultra dispositionem illius statuti: *Ammonet*, tempore visitationis ad sui suorumque procurationem, ab omni officio pontificiali sunt suspensi, quousque duplum reddiderint, nulla remissione, liberalitate aut gratia persolventium eis valitura.

Punctus V.

Item ex statuto seu canone: *Sacrorum Canonum*, suspensi sunt ab omni officio et beneficio clerici; qui sine licentia sui episcopi se astringunt homagio servitio laicorum, excepta persona domini regis, ducum fratrum et filiorum eorundem, donec reatum suum emendaverint, et gratiam diæcesani super hoc meruerint obtinere; et clerici taliter adstricti homagio laicorum de licentia su episcopi non debent admitti ad inofficiandum ecclesias, sed privatas missas celebrare in alterius Diœcesi, salvo jure parochiali sacerdotum. Contrarium facientes ab omni officio et beneficio sunt suspensi.

Punctus VI.

Item ex statuto vel canone: *In maglina* supponitur interdicto regnum, si per manum laicalem contingit episcopum captivari, et reqvisitus princeps justitiam non fecerit; si præpositum, archidiaconum, diaconum, vel canonicum diœcesis, in qua detinetur; si sacerdotem simplicem, curatum vel clericum in sacris existentem, particularis contracta. Et cum hoc constiterit, protinus cessetur a divinis; et episcopi, qui hoc pro suo modulo et posse prosequi non studuerint, vel noluerint, aut eti-